



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Secvnda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

danas varietates ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Sed redeamus in viam, & à desultoriâ studiorum inconstantia ad naturæ contemplationem nos transferamus.

SECTIO SECVNDA.
ECCLESIASTES.

^a Alij, oc-
supatio-
nem,

^b Sine pul-
sura

VERS. 10. Vidi ^a afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in eâ.

II. Cuncta fecit ^b bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.

METRICA PARAPHRASIS.

DOTALES aditura stygis Proserpina campos,
Fraude Dionæa viridaria nobilis Ætne
Dum fati secura petit (si fabula poscit
Prisca fidem) iunxere gradum, quæ Menala terret
Venatrix, quæque anguicomâ Pandionis arces
Gorgone tuta tegit: circum vndique Naiades errant:
Idalis ipsa chorum ducit, Zephyrique tepentis
Occupat afflatu iam pubescentia prata.
Hic stupefacta cohors, visusque per omnia ducens,
Secta volubilibus miratur Eloria riuis:
Miratur nemus exuuiis & honore comarum
Luxurians, quod Phlegra suis vestiuit opimis:
Miratur pictis vernantia floribus arua,
Addubitans quæ prima metat decora inclyta Flora,
Pollice quem tenero veris populetur honorem.

Hec

Hæc sociare rosis candentia lilia gaudet;
 Illa tuos Narcisse, tuosque Hyacinthe dolores
 Vngue secat recolens: hæc textilibus calathiscis
 Constipat violas, fertis hæc tempora obumbrat;
 Hæc oculos formâ, nares hæc pascit odore.
 Haud aliter quisquis terras, cælumque profundum
 Circuit obtutu, qua subtrahit inuidus axem
 Antipodum, & latè Finitor diuidit orbem,
 Eternæ mentis decora alta stupore silenti
 Prosequitur; nec iam Sicana aut Thessala Tempe
 Etneofque stupet saltus, sed quælibet orbis
 Ora loquax speciem maiestatemque fatetur,
 Artificis que super molitur laude laborem.
 Singula nempe Deus pulchrum, pulcherrimus ipse,
 Finxit ad exemplar, Diâ quod mente repostum
 Condita felici signauit tempora partu,
 Tempora fatorum æternus quæ fixerat ordo.
 Aspice sidereis flammantia tecta pyropis.
 Hic Hyadum sparsit glomerabile sideris aurum,
 Hic nautis Helicen, & tardi plaustra Bootæ,
 Hic noctis que duces, orbis que infixit ocellos:
 Hic furuam noctis Phæbæâ lampade pallam
 Dissipat, ac rebus formosum adspirat honorem.
 Aëra quis vastum exiguo constringere versu
 Audeat? hinc nobis vitæ spirabile munus,
 Rorida que exsuccas impregnant nubila terras:
 Hic se puniceo Thaumantias ornat amictu,
 Illudens Phæbi radius, quos diuite cultu
 Mentitos oculis iubet obiectare colores.
 Hic fragor, elisis hic sæta tonitrua flammis,
 Viscosæque faces ferali crine minantes,
 Numinis imperium maiestatemque loquuntur.

Quid

Quid mare veluolum memorem? quàm commoda, vento
 Auspice, dissectis miscet commercia terris?
 Nunc age, quàm pulchro decoratur firmate, quàmque
 Terra parens frugum vario pubescit in herbam
 Germine? quot pingit vernantia floribus arua?
 Quantà fruge beans avidi rata vota coloni
 Post glandes Dodona tuas, Cerealia dona
 Congerit, Hybleosque fauos, laticemque Lyæum?
 Parua loquor. Patulis circumfer lumina terris,
 Quelibet ora dabit Teumesia, quolibet hortos
 Alcimoi, nec Syrtigenam sola Africa loton
 Ostentabit ouans, nec Olympi Lydia nectar,
 Nec sola Hesperidum carpet mala aurea Lixos.
 Quolibet illecebris pars orbis, & illice cultu
 Attonitos rapietque oculos, rapietque palatum.
 Hoc Pater omnipotens hominem spectare theatro
 Diuina monumenta manus, causasque stuporis
 Iussit, & occultos natura duxit in ausus.
 His studiis mortale genus, taboque silenti
 Carpitur, ingenij dum se pernicibus alis
 Ignea vis animi doctis exercita curis
 Erigit, & carnis negat indignata teneri
 Carcere; nunc vasti transcendens mœnia mundi,
 Stellantesque domos, nunc sese Tethyos abdens
 Fluctibus, & liquidi scrutans secreta profundi,
 Nunc ultra Hesperiam, Solisque cubilia Gades,
 Auriferam visens Peruën, nunc littus læue,
 Nunc sola Iaponios nobis obuersa prementes.
 Scilicet ingenuis pudor est, nescire quod vsquam est:
 Suspiciunt monumenta orbis, causasque latentes
 Rimantur, stimulatque animos prurigo sciendi,
 Lumina nec dulci patitur nictare sopore.

Sed

Sed tamen, ô rerum caligo! ô mersa tenebris
 Causarum series! quantum est quod nocte sepultum
 Prodet sera dies! Quis enim (licet abdita mundi
 Deuexum in senium tenero meditetur ab vngue)
 Naturæ comprehendat opes? Quo pondere tellus
 Pendula libretur, quo fluxerit æquor ab ortu,
 Vnde salo superent riui, laticesque scatebris,
 Quid pelago caloque, ut Luna reciprocet æstus
 Alterno vndarum libramine, quantula quantum
 Pupula comprehendat spatij, obtutuque sub vno
 Multiplices rerum formas discriminet, vnde
 Per labyrinthæos flexus fragor occupet aures,
 Quantum iter in terras radius Hyperionis, vnde
 Mille trahat varios Iunonia virgo colores,
 Quæ manus impellat ventos, aut carcere frenet,
 Denique, sidereis numeret quot sedibus astra
 Stellantes nox picta sinus. Mens pondere tanto
 Obruitur, nimiaque indagine lassâ fatiscit;
 Nec tamen optatâ recreatur imagine veri:
 Naturæ licet vsque putet ter maximus Hermes
 Explorasse adyta, aut stellis candentibus aptum
 Torserit axem humero calorum conscius Atlas.
 Sed venient seris labentia tempora sæclis,
 Cùm non vnus Atlas propius caput inserat astris,
 Ductilibusque tubis radios geminaque dioptra
 Transmittens, oculis vires arcessat ab arte.
 Tunc Solem adspiciet sparsâ ferrugine tingi:
 Æmula tum Phœbes Veneris lunata stupebit
 Cornua, Phœbea sensim coëuntia luce.
 Tum Iouis insolito numero sua pila satelles
 Eriget, astriferâ Regem statione coronans.
 Nec tamen idcirco penetrabilia nosse licebit

*Diuinorum operum nimio submota recessu.
Caligo est, quod scire datur. Lux crastina luce
Plus sapit hesternâ : nocti nox addita noctem
Exiit, & mentem perfundit lumine. Sic nos
Sisyphio exercet docta ignorantia saxo.*

PROSA EXEGESIS.

O MISERA mortalium conditio! quid tandem in rebus humanis expetendum censebimus, si non minus in pertinaci constantique labore vanitatis, quam in desultoriâ studiorum inconstantiâ reperitur. Vidimus præcedenti Sectione perpetuam in tantâ rerum ac studiorum vicissitudine iactationem: nunc autem non minus animi tormentum existit ex pertinaci planeque inexplebili sciendi cupiditate: quam cum huius vniuersi Conditor eximiâ mundi pulchritudine in animis nostris excitet, neque vniquam liquido veritatis fonte restingui patiatur; quid aliud, quam Tantali cuiusdam à nobis supplicium reposcit? Atqui nihil est in hac rerum vniuersitate tam minutum, ait Aristoteles, tamque vile, aut abiectum, quod non cum ingentem in animis nostris sciendi pruritus excitet, tum verò in stuporem nos rapiat, & auctoris sui commendationem. Et quod Heraclitum Tarentinum dixisse ferunt, cum in casam quamdam furnariam diuertisset, Introite, sunt hîc etiam dij; hoc in minimis etiam naturæ operibus sentiendum, in quibus multiplex radius diuinæ perfectionis elucet. Nam, vt rectè notat Bernardus, potentissimè ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata. Nec auctor excellentior est Deo, ait Augustinus, nec ars efficacior est Dei verbo, nec causa melior est, quam vt bonum cre-

Vana sciendi cupiditas.

Aristoteles
de Partib.
animal.
lib. 1. c. 3.

*Res creatæ
in Creato-
riâ noti-
tiam nos
ducunt.*

Bernard.
Serm. 3. de
Pentecost.

August in
Sententijs,
Sent. 141.

creetur à bono. Et quamuis non omnia eius opera æqualem pulchritudinem ac maiestatem præ se ferant; idem tamen illi quod Apelli contingit, cuius non absolutissima tantum opera mirata est antiquitas, sed subtilissimam etiam lineam in spatiosâ tabulâ depictam primùm Rhodius Protogenes, deinde Roma inter eximia nobilium pictorum monimenta suspexit. Ita in diuinis operibus non absolutissima tantum naturæ opera, sed tenuissima etiam lineamenta miramur.

Effecit hæc naturæ præstantia, vt præter alios Antonius ille vastæ solitudinis cultor sic vniuersitatis humanæ amœnitate caperetur, vt cum quidam ex illo sciscitaretur, cur tam paucos, ac propè nullos apud eum libros conspiceret, respondisse dicatur, Hæc mundi spectacula sic animum suum oblectare, nullum vt aliud librorum adminiculum desideraret: hinc inuenire se studium amœnissimum, quo semper caperetur, nec vquam satis caperet. Ad hoc studium naturâ optimum quemque incitari ait Seneca: quæ, inquit, ad contemplandum nos erexit, nullamque non sui partem nobis explicuit, vt per hæc, quæ obtulerat oculis, cupiditatem etiam faceret ceterorum. Nec enim omnia, nec tanta visimus, quanta sunt: sed acies nostra aperit sibi inuestigando viam, & fundamenta veri iacit, vt inquisitio transeat ex apertis in obscura, & aliquid ipso mundo inueniat antiquius. Quis fuerit Vniuersi status antequam singula in partes discederent: quæ ratio mersa & confusa diduxerit: quis loca rebus assignauerit: an suapte naturâ graua descenderint, euolarint leuia: an præter nisum pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit. Quin etiam cogitatio nostra cæli munimenta perrumpit, nec contenta est id

Plin. li. 35.
cap. 10.

Seneca de
Otio sapientis,
c. 32.

Ex notis ad
ignota sciendi cupiditas transit.

quod ostenditur scire; Illud, inquit, scrutator quod ultra mundum iacet, vtrumne profunda vastitas sit, an & hoc ipsum terminis suis cludatur. Quin imò tanta erat antiquis Philosophis naturæ opera contemplandi cupiditas, vt corpus suum, tamquam scientiæ remoram, non absque iniuriâ ferrent, assiduaque moriendi consuetudine animum à corporis contagione reuocarent. Enimuerò, vt est à Socrate in Phædone disputatum, nihil est homini ad veritatis lucem adspiranti tam inimicum, quàm corporis contagio, & voluptatis illecebra; quæ mentem caligine offusam falsis decipit imaginibus, nec à sensuum colluione ad mundi spectaculum, rerumque naturam perlustrandam egredi permittit. Vnde Mercurius ille, cui multiplex rerum scientia Trifmegisti cognomen peperit, eum qui ad Philosophiam adspirat, in Asclepio hortatur, vt corpus, quoad fieri potest, quasi vestem deponat, exuatque hoc inscitæ indumentum, interitus vinculum, viam mortem, sentiens cadauer, ductile sepulchrum. Quod illi sanè impigrè exequuntur, qui peruestigandâ rerum naturâ non ætatem tantùm, sed etiam sanguinem succumque consumunt.

Plato in
Phædone.

Res creata
in cognitio-
nem sui al-
licians.

Hæc est igitur illa occupatio, quam afflictionem non immeritò vocat noster Interpres, quam dedit Deus filiis hominum vt distendantur in eâ. Nimirum, *Cuncta fecit bona* (sive pulchra) *in tempore suo*; quæ proinde eximiâ suâ specie ac voluptate spectatores suos mirum in modum afficiunt, & ad inuestigandas naturales veritates, rerumque causas, vehementer impellunt. Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem, ait D. Augustinus. Vnde mox subiicit: *Et mundam tradidit disputationi eorum.* At quo fructu tandem? O vanitas! vt post
infini-

Augustinus
Tract. 26.
in Ioan.

infinite laborem, paucis hinc inde tenui cognitione delibatis, *non inueniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio vitæ suæ disquisitioni mancipatus usque ad finem.* Dic enim, obsecro, quid certi aut explorati habemus in hac rerum humanarum confusâ caligine? Pythagoras Naturalem Philosophiam extra scientiarum chorum eliminabat, quod omnem subtilitatis naturæ comprehensionem opinionibus contineri diceret. Socrates, cum prius ad rerum naturalium peruestigationem animum appulisset, earumdem inconstantia perpetuoque fluxu deterritus (quod nihil in iis certo sciri posse apud se statuisset) ad Moralem Philosophiam animum adiecit. Hunc secuti cum Platone suo Academici, omnia in rebus naturalibus dubia atque incerta esse contenderunt.

Res naturales obscuræ.

Tertullian. lib. de Anima.

Theodoretus lib. de Materia & mundo.

Denique fuit hæc apud veteres peruagata de veritate querimonia, quod ita humanæ mentis commercium fugisse videretur, ut in eâ quærendâ mortales operam luderent. Hinc Democritus eam in puteo, cui nullus esset fundus, demersam querebatur; Anaxagoras densâ caligine circumfusam pronuntiabat, Empedocles ad hauriendam scientiam nimis angustas esse sensuum vias. Alij suos nescire potius quam scire docentes, in inuestigatione Physicæ veritatis nihil perspectum haberi posse contendebant.

Veritatis cognitio difficilis.

Lactantius lib. 3. c. 3. Mirand. lib. 2. de Exam. van.

Et verò, nonne in iis, quæ sub adspæctum cadunt quotidie, tamquam in tenebris palpitamus? Quis fontium fluminumque idoneam assignauit originem? Nam siue ex imbribus oriri dixeris, cum antiquis, ridebit Rheni potor aut Danubij accola, qui ex nudis etiam rupibus, qui nullum imbrem bibunt, copiosissimas vident aquarum scaturigines. Siue cum Aristotele ad va-

Fontium origo obscura.

Arist. lib. 1. Meteoror. c. 13.

Basilus
Homil. 4.
Hexaem.
Hieron. in
cap. 1. Ec-
clesiastæ.

pores subterraneos referas, quis non videt difficillimum hoc esse commentum, nullaque nixum experientia. Siue denique cum D. Basilio, Hieronymo, ipsoque Ecclesiaste, è mari cursum ducere malueris; quis comprehendet, quo pacto liquidum hoc elementum, quod in mare tamquam locum depressiorem deuoluitur, ex eodem contra naturæ ductum ad capita fontium fursum recurrat?

Æstus marini causa obscura. Vide Conimbricenses in Meteor.

Nunc verò cum de æstu marino disceptatur, quis non explodendos iudicet Stoicos, qui, ut aliquam eius assignent causam, ab animâ liquidi illius elementi, quam otiosè comminiscuntur, motum illum reciprocum oriri contendunt? Nec minùs illi ridiculi sunt, qui hunc tantum effectum ad aquarum euaporationem referunt, quâ vigente efferatur mare, cessante decidat: qui mari simile quid euenire fabulantur quod animanti febrium paroxisimis per interualla æstuanti. Et quamuis melior Philosophorum sententia causam æstus marini Lunæ adscribat, quis tamen idoneum discrimen ostendet (cum hoc astrum terras omnes ac maria suo lumine influxuque peruagetur) cur non omnia maria eodem illo æstu, reciproco, certisque horis dimenso, fluctuentur? Nam in Lusitanico Belgicoque Oceano senis ferè intumescit ac detumescit horis; ad Erythræum verò Africæ promontorium quaternis accedit, octonis regreditur: in littore Cambaiæ mare binis horis triginta circiter leucas accessu obtegit, binis totidem recessu detegit: in Euripo (fretum est inter Aulidem & Eubœam) vnius diei noctisque spatio septies recurfat. Sanè, ut cetera silentio inuoluam, tantum negotij Euripus ille faceßiuit Aristoteli, ut desperatione tandem ac tædio victus, in eundem se precipitem

Æstus maris diuersus.

capitem egisse dicatur. Vnde locus prouerbio factus, Aristoteles non capit Euripum, igitur Euripus capit Aristotelem.

Porro ventis ipsis leuiora sunt, quæ de ventis plerique philosophantur. Aiunt, exhalationes à Sole attractas, in opacam nubem impingentes, in hanc illamve partem fugâ dilabi. Crederes illos areas ferreasque nubes cogitatione fabricari. Sed quid illis ventis facient, quos vehementissimos patimur, nullo vsquam nubis apparente vestigio? Quare Seneca faciliori viâ, sed planè fabulosâ & commentitiâ sese expedit, vitam scilicet aëri tribuens quâ se moueat. Quantò laudabiliùs ignorantiam confessus cum Regio Vate diceret, *Qui producit ventos de thesauris suis*, non de antro aliquo Æolio, aut concauâ rupe, sed, vt ait Bellarminus, de potentiâ suâ secretissimâ & ditissimâ, quæ numquam exhauriri potest.

Quid nunc ego species seu formas adspectabiles à corporibus illuminatis decifas commemorem? quæ in speculo videntur, quomodo imago in speculi profunditate immersa apparet, cum species in superficie terminentur? Sin autem res ipsa in speculo apparet, quomodo intra speculum videtur, cum illi minimè insit?

Præterea quis vnquam vel probabili coniecturâ assecutus est, vnde amœnissima illa colorum varietas in iride, in vitro triquetro, in politis adamantibus existat? Vnde mercurio, sine argento viuo, illud eximium, vt cum aliquod plumbi libras natantes sustineat, vel vnicus auri scrupulus illi iniectus mergatur? Vnde non tantum defunctorum corporibus ad inimici præsentiam, sed plantis etiam & arboribus illa, quam cernimus, antipathia? vnde sexcenta talia naturæ miracula?

*Ventorum
causa ob-
scura.*

*Seneca
lib. 5. Nat.
quest. c. 5.*

*Bellarmin.
in Psalm.
134.*

*Specierum
visibilium
natura oc-
culis.*

*Natura
miracula.*

Augustinus
Epist. 2. ad
Volufian.

cula? Stulti fumus, si aut naturam penetrare, aut causas eruere nos posse confidimus. Demus, inquit Augustinus, Deum aliquid posse quod nos fateamur inuestigare non posse, atque in talibus rebus tota ratio facti, sit potentia facientis.

Curiositas
hominum
mirabilis.

Et hæc quidem luce meridianâ clariùs humanæ curiositatis & scientiæ vanitatem ante oculos constituunt; sed inter tot naturæ miracula vnum mihi reliquum fieri videtur. Cùm toties, eluso scientiæ conatu, vita pariter animiq̃ue vigor contabescat; quâ fieri potest, vt in tantâ desperatione ad occulta naturæ penetrandi, nullum inuestigandi finem faciat humana curiositas? Quid hîc dicam? nisi hoc etiam ad cumulum nostræ vanitatis accedere, quòd, ad curiositatis illecebram, noua subindè scintilla veritatis in lucem emergat; quâ fit vt magis magisq̃ue sciendi cupiditas accendatur. Quis enim ignorat, quantopere huius temporis Astrologorum studia accenderit opticus ille tubus, cælestium secretorum ingeniosissimus explorator? Quantis hoc hominum genus incessit gaudiis, cùm plures septenis Pleiades, cùm circumfufos Saturno stipatores, cùm Solis maculas, aliaq̃ue hætenus inexplorata, huius tubi beneficio in lucem protulerunt? Nec dissimili ratione præteritis sæculis acus nauticæ inuentum, aliaq̃ue non minùs præclara, mentes sciendi cupidas crexerunt: quæ tantò vehementiùs accendi consueuerunt, quòd, licet hinc inde veritas aliqua in lucem emerferit, multum tamen ad scientiæ perfectionem semper desideretur. Sanè ante annos non ita multos mihi contigit, cùm aliud agens acu nauticâ tempus fallerem, deprehendisse me (quod nusquam legisse meminî) vectem seu baculum ferreum fursum erectum, supe-

superiore sui parte, si pyxidem admoueat, acum nauticam ad se rapere, inferiori parte à se repellere: eundemque sequi effectum, si vectis sursum deorsum inuertatur. Si verò vectis in terrâ iaceat, ita vt parallelus sit illi lineæ horizontali, quæ protenditur ab Oriente in Occidentem, neutra pars acum nauticam aut repellet, aut attrahet; sed naturæ suæ relinquetur. Si vectis parallelus fuerit lineæ horizontali, quæ protenditur à Septentrione in Meridiem, pars illa vectis, quæ Septentrionem respicit, acum repellet; quæ verò in Meridiem vergit, attrahet. Denique si vectis altera sui parte paululum à terrâ eleuetur, pars eleuata, quancumque cæli plagam respiciat, acum attrahet, pars autem altera terram contingens reiiciet. Omitto hîc stupendum illud horologium recentissimè inuentum, quod in aquâ per se mouetur, horasque designat. Sic aliquid semper noui in lucem emergit, quod vanam sciendi curiositatem pascat, nec illam tamen ad perfectam diuinorum operum cognitionem perducatur. Interim quod Chymicæ artis exploratoribus euenit, vt quintę alicuius essentiæ, vt vocant, inuentione lactati, non absque facultatum ac vitæ dispendio semper artis illius perfectionem sequantur, & numquam assequantur: idem hîc vsu venire cernimus, vt in hac diuinorum operum disquisitione vitam citius, quàm labor inuestigandi deficiat. Quare vanitatis huius pertæsus Ecclesiastes, remedium mox suggerit & solatium.

T SECTIO